

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,  
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

466

464

470

magnae cum ingentibus malleis, qui arte rotarum per aquas impul-  
sarum fabricant.

460

Die XXIII. mane surreximus et nos et equos refecimus. Illi  
autem mercatores de Augusta montana per aliam viam ingressi  
sunt. Ego vero et Johannes Müller directo tramite ascendimus  
via regia per crepidinem in altitudinem montis Brenneris et magno  
labore propter occurrentes nobis aquas adscendimus, quia nives  
resolvebantur et impetu occurrerant nobis aquae etiam in nova  
via, quam dux Austriae anno praeterito fecit; per viam enim anti-  
quam nullo modo potuissemus adscendisse, quia rapidus torrens  
per eam ruebat mirabili sonitu ex offensione rupium et petrarum.  
Illa die equitavimus multas novas vias arte et industria a principe  
Sigismundo paratas et multis expensis, et hoc fecit in universis  
montibus suae ditioni subjectis, in perpetuam suae nobilitatis me-  
moriā. In summitate montium est villa, quae dicitur ad S. Va-  
lentinum, juxta quam est iterum aquarum divisio, nam quaedam  
pars aquarum decurrit per saltum et crepidinem, per quam nos  
de Sterzingen adscendimus, et tendens in meridiem Athesi fluminī  
jungitur, quod nostro mari mediterraneo miscetur. Alia pars  
contra orientem descendit, ad quam per curvas valles tendens in  
Inum cadit, qui postea Danubio nostro sociatus Ponto Euxino  
miscetur. In processu ad custodiam ducis venimus, quae dicitur:  
Im Lug, ubi sunt gravia telonea omnium rerum, quae a Venetiis  
in Sueviam ducuntur, estque ibi culeum grande cum magnis  
catenis, in quo librantur gravissimi currus cum omnibus oneribus  
suis. In hoc montium districtu sunt cacumina valde alta, et hieme  
est multum periculosum pertransire, praecipue tempore resolutionis  
nivium, quia tunc de superioribus cacuminibus nives dilabuntur et  
per praecipue ruentem coagulantur in immensum globum, qui tanto  
impetu ruit, cum tanto fragore, ac si montium scissura violenta  
fieret; omne enim, quod globus ille attingit, involvit, nam petras  
de locis suis levigat, arbores eradicat, domos evertit et abducit  
et nonnumquam villas integras obruit. Unde propter hujusmodi  
periculum datum est ab antiquo montanis illis hoc nomen Bren-  
ner vulgariter, latine vero dicuntur Alpes Brenni, cuiusdam Teu-  
tonicorum sive Suevorum principis, qui nominabatur Brennus, de  
quo habetur in Pantheon magistri Gottfridi episcopi Viterbiensis,  
opere metrico, particula IX. longa historia, in qua dicitur,

475

455

515

415

565

365

Ende

Anfang

